


IOANNIS  
LAVNOII  
CONSTANTIENSIS  
PARIS. THEOLOGI  
DE VICTORINO  
EPISCOPO ET MARTYRE.  
DISSERTATIO.

EDITIO SECUNDA  
*auctior & correctior.*



PARISIIS,  
Typis EDMUNDI MARTINI, viâ  
Iacobæâ, sub Sole aureo.

---

M. DC. LXIV.  
CVM PERMISSV.

1664



IOANNIS  
LAVNOII

CONSTANTIENSIS  
PARIS. THEOLOGI  
DE VICTORINO  
EPISCOPO ET MARTYRE  
DISSERTATIO.

*Ad CHRISTOPHORVM FAVVÆVM  
Parisiensem Theologum, Canonicum  
& officialem Pictaviensem.*



VICTORINVM qui furente in  
Christianos Diocletiano fecit  
martyrium, FAVVÆE DO-  
CTISSIME, Pictaviensem fuisse  
Episcopum, scriptores multi  
quingentis circiter abhinc annis  
memoriæ prodiderunt. In iis Pictavienses &  
domestici sunt quidam; alienigenæ & extra-

#### 4 DE VICTORINO EP. ET M.

neisunt alij. Pietauienses & domestici celebriores ætate nostra vixerunt, Ioannes Beslius, & ab eo inductus Henricus Ludouicus Castanæus Rupipozæus loci Episcopus, ambo de literis ceteroqui benè meriti. Alienigenæ & extranei, cùm hocce tempore, tum ante illud flourerunt. Antiquiores iunioribus facem prætulerunt ad lapsum, errandique viam munierunt. Utrosque fefellit non absimile patronymicum alterius vrbs, cuius Ecclesiam Victorinus administravit. Pietauiensem, & Petauionensem, seu Pitabionensem Episcopum pro vno eodemque acceperunt. Errarunt ipsimet, & cùm errarent, perperam crediderunt erratum ab iis, qui apud B. Hieronymum & alios auctores Petauionensem seu Petabionensem descripserant. Talis nominum similitudo similes quondam errores peperit, & scriptoribus egregiis tenebras offudit. Cyprianus Carthaginensis idem habitus, atque Cyprianus præstigiator, postea martyr; Nouatianus cum Nouato confusus; & Nicea Thraciæ in Nicæam Bithyniæ conuersa est. Sed nihil suppetit admodum, cur ista doceam te, qui me vt adepti in Theologia magistris tempore, ita & doctrinæ copia antecedis: si tamen quod est perexiguum in me, copia dici possit. Quod meriti tui genus & vitæ probitas effecerunt, vt pridem illustris Antistes, & eo nuper mortuo Pietauiensis Clerus Ecclesiæ Vicarium dederit te & Officialem, qui humana iura dispensares. Id & Cleri propria laus est, & tua. Cleri quidem, quod iudicem, qui ne-

scio quo demonstrandæ potestatis consilio mutari solet, non mutauerit; Tua verò, quòd non mutandi causam omnem obtuleris rei bene administratæ euentiâ. Hactenus igitur iura dispensas communi vtilitate, non propria, munusque tuum exequeris omnino, contrà quàm Officiales executos fuisse suo sæculo Petrus Blesensis scribit. Hinc tibi æquè ac mihi gratulor, quòd semper egeris agasque Officialem singularis exempli, etiamsi olim extitisses. Hoc autem quantulumcumque opusculum, quod mediator, in tuo debuit nomine apparere. Id postulant multæ & veteres causæ necessitudinis, quæ nos eadem in Academia, iisdem in studiis, eodem in contubernio coniunxit: deinde literarum commercium, quod mihi tecum est in singulas hebdomadas; quòdque mutuam inter nos charitatem subinde redaccendit: tum ipsa scribendi materies, quæ hinc facultate & otio tuo dignissima videtur, inde tangit Ecclesiam, cui tua virtus & eruditio plurimum splendoris importat: postremò nonnulla rationum momenta, quæ mihi pro tua eximia in rebus Pictauorum cognitione subministrasti. Æquum enim erat, vt illuc resfluerent, vnde scaturierant. Resfluere tamen nequeunt cum eo sermonis nitore, qui tibi cum sit proprius, mihi communis esse non potest. Interim resfluent sine fuce. Solum erit tuum videre, num aliquid ex tuis momentis profecerim. Porro Victorinum non Pictauiensem in Aquitania, sed Petauionensem seu Petabionensem in su-



## 6 DE VICTORINO EP. ET M.

periori Pannonia claruisse Episcopum tam multa confirmant, vt cur alij senserint aliter, id admirationem habet quàm maximam. De his verò multis pauca, sed præcipua delibo. Tum nonnullas ad Dissertationem obseruationes adiiicio, quibus vel eadem illustratur ampliùs, vel quæ futura sit eiusdem vtilitas, explicatur. Vale Lutetiæ Paris. ann. M. DC. LIII.

---

### CAPVT PRIMVM.

*Argumentum ducitur ex Beati Hieronymi locis quinque.*

**Q**VONIAM verò sermonis huius ordiendi princeps est Hieronymus, in medium adduco illius loca quinque, quorum duo extant in libro de viris illustribus. Vnus in Pappia Hierapolitano Episcopo: *Tertullianus quoque*, inquit, *in libro de spe fidelium & Victorinus Pictauionensis, & Lactantius hac opinione ducuntur*: ita editio Veneta anni M. CD. LXX. Huic editioni re ipsa consentiunt plures antiqui manuscripti codices, vnus sancti Germani Pratenfis ad Lutetiam, alter sancti Victoris ad eandem urbem, vbi *Petauionensis*, tertius Bibliothecæ regię, quartus Bibliothecæ Puteanæ vbi *Pitabionensis*, quintus Monasterij Beatæ Mariæ de Longoponte, sextus Monasterij Beatæ Mariæ de Valle, septimus Beatæ Mariæ Remensis: duo in Bibliotheca Thuana notæ probif-

simæ. Ex his autem quæ certiora sunt, corrigenda est editio Romana anni M. CD. LXVIII. & M. CD. LXX. Moguntinensis eiusdem anni M. CD. LXX. Veneta anni MCDXXCVIII. Basiliensis anni MCDXCII. MDXVI. MDXXIV. MDXXVI. MDLIII. MDLXV. Lugdunensis anni M. D. XXX. Romana M. D. LXI. & quæ consequuntur editiones aliæ, in quibus *Pictaviensis* exaratur.

Alter in Victorino ipso: *Victorinus Pitavienensis Episcopus non aequè Latine ut Gracè noverrat. Vnde eius opera grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum. Sunt autem hæc, Commentarij in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Esaiam, in Ezechiel, in Abacuc, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Apocalypsim, & aduersus omnes hæreses, & multa alia. Ad extremum martyrio coronatus est.* Ita Romana editio anni MCDLXVIII. & MCDLXX. Moguntinensis eiusdem anni MCDLXX. Basiliensis anni MDXVI. MDXXIV. MDXXVI. MDLIII. MDLXV. Lugdunensis anni MDXXX. Sixtus Senensis libro VI. Bibliothecæ sacrae annot. CCCXLV. & annot. CCCXLVII. Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: His omnibus adstipulantur manuscriptorum codices, vnus sancti Germani, alter sancti Victoris, tertius Bibliothecæ Regiæ, quartus Puteanæ, quintus Monasterij Beatæ Mariæ de Longoponte, sextus Monasterij Beatæ Mariæ de Valle, duo in Bibliotheca Thuana notæ probissimæ. Ex his autem corrigendus est Codex MS. Beatæ Mariæ Remen-

### § DE VICTORINO EP. ET M.

sis, & alij si quisint. Corrigenda quoque est editio Veneta anni MCDLXX. & MCDXXCVIII. Basiliensis anni MCDXCII. & Romana anni MDLXI. & consequentes aliæ, in quibus *Pictaviensis* legitur.

Tertius in epistola contra Vigilantium. *Taceo de Victorino Pictaviensi & ceteris, qui Origenem in explanatione scripturarum secuti sunt & expresserunt.* Ita Romanam editio anni MCDLXVII & MCDLXX. Moguntinensis & Veneta eiusdem anni MCDLXX. Veneta anni MCDXXCVIII. Basiliensis anni MCDXCII. MDXVI. MDXXIV. MDXXVI. MDLIII. MDLXV. Lugdunensis anni MDXXX. His editionibus opitulantur manuscripti codices, vnus sancti Victoris, alter Nauarrici Collegij in Academia Parisiensi, tertius Bibliothecæ Tillianæ, quartus Monasterij Beatæ Mariæ de Longoponte, quintus Monasterij Sancti Ioannis de Vineis apud Sueffiones, sextus Antonij Loifelli illustris quondam in senatu causidici, septimus Claromontani Collegij Paris. Societ. IESV annorum plus minus octingentorum, octauus FF. Prædicatorum S. Mariæ Annunc. Paris. nonus apud Rotomagenfes in Bibliotheca Fratrum Bigotiorum, decimus Florentinus manuscriptus ann. MDXXCIV. qui est in Bibliotheca Regia; tres in Thuana, quorum duo sunt antiquissimi. Ex his autem corrigenda est Romana editio anni MDLXI. & consequentes aliæ, in quibus *Pictaviensis* reponitur. Mirifica est editionum omnium cum manuscriptis consensio ante Romanam illam editionem,

que à Mariano Victorio deprauata fuit.

Quartus in libro contra Heluidium sub finem : *Tertullianum in testimonium sibi vocat , & Victorini Pictabionensis verba proponit.* Ita Romana editio anni MCDLXVIII. & MCDLXX. Veneta anni MCDLXX. & MCDXXCVIII. Basiliensis anni MCDXCII. Parisiensis anni MDXII. vbi *Pictabionensis.* Accedunt manuscripti codices , vnus Nauarrici Collegij , alter Bibliothecæ Tullianæ , tertius Monasterij Beatae Mariæ de Longoponte , quartus Monasterij B. Ioannis de Vineis apud Sueffiones , quintus Claromontani Collegij Parisi , annorum plus minus octingentorum , sextus FF. Prædicatorum S. Mariæ Annunc. Parisi. septimus Florentinus iam memoratus ; octauus Monasterij S. Remigij Remensis ; duo S. Victoris , quorum alter est annorum circiter sexcentorum ; tres Bibliothecæ Thuanæ , quorum duo sunt antiquissimi. Codex MS. monasterij S. Remigij Remensis. Ex his autem corrigenda est Moguntinens. editio an. MCDLXX. Basiliensis anni MDXVI. MDXXIV. MDXXVI. MDLIII. & MDLXV. Lugdunensis anni MDXXX. Romana MDLXI. & consequentes aliæ , in quibus *Pictaniensis* apparet.

Quintus denique locus in cap. xxxvi. Ezechiel. *Quod multi nostrorum , & præcipue Tertulliani liber , qui inscribitur de spe fidelium , & Lactantij institutionum volumen septimum pollicetur , & Victorini , Pictabionensis Episcopi crebra expositiões.* Ita Veneta editio anni MCDXCVII. anni MDXVI. MDXXIV. MDXXVI. MDLIII. & MDLXV. Lug-

dunensis anni MDXXX. Consentiant manu exarati codices, vnus Monasterij Beatae Mariæ de Longoponte, alter sancti Germani saxonicae formæ literis depictus, qui ad ætatem Caroli Magni pertinet, vel certè filiorum. Hic autem cùm ea conditione pluribus æquiualeat, satis effret: vnde necessariò corrigenda est Romana editio anni MDLXI. de qua Victorius sic in notis ad illud cap. *Pitabionensis falsò antea legebatur, quem errorem Sophronius introduxit, dum non rectè Latinam vocem Græcè in Catalogo reddidit.* Ego contrà vehementer contendo, id nunc falsò legi, quod rectè antea legebatur, & Victorium perinde inani atque falsa ductum suspitione veterem scripturam mutasse. In primis à quo didicit, Sophronium Latinam vocem, qua vsus est Hieronymus, non rectè vertisse? Id enim gratis pronuntiat, quod summa cum ratione pronuntiandum fuit. Et fanè Pitabionem inter & Pictauium Victorius ipse videtur ignorare discrimen, quod Sophronius agnouit, vti secundum argumentum euidenter ostendet. Deinde supponit Hieronymi Catalogum Latinè scriptum periisse. eúmque qui extat, haberi ex Græca Sophronij versione, quam quis Latinè sit interpretatus. Id quod in hoc rerum genere sic est falsum, vt falsius esse nihil possit. Superfunt hodièque plura Latinæ editionis manuscripta exemplaria, quibus cum Græca Sophronij versio non coniungitur, & in quibus Victorinus *Pitabionensis* legitur, non *Pictauiensis*. Erasmus primus, opinor, est, qui iam edito Romæ, Ve-


netiis, & Moguntia Latino Beati Hieronymi Catalogo Græcam Sophronij versionem adiunxit, dum Basileæ an. M D X V I. omnium Hieronymi operum editionem curauit. Tum etiam si fingeremus Sophronium id fecisse, quod eum fecisse vult Victorius, non inde consequeretur, corruptam esse vocem, quæ ex Hieronymi commentario in Ezechielem refertur. Quippe oportuisset vel à Sophronio commentarium illum Græcè redditum fuisse, vt pari modo vitaretur, vel priùs à librariis, qui descripserunt commentarium, descriptum fuisse Catalogum, vt ex eo haustum ac libatum errorem, in eundem commentarium postea transfunderent. Enimuerò primum nemo somniabit mortalium, secundum non nisi ariolus quispiam & coniector vanus affirmabit.

## CAPVT III.

*Argumentum ex Sophronio, qui librum  
Hieronymi de viris illustribus  
Græcè vertit.*

**F**VIT æqualis Hieronymi, vt creditur, Græcus auctor nomine Sophronius, qui librum illius de viris illustribus, seu de scriptoribus Ecclesiasticis in suam linguam traduxit. Hic de Victorino sic in Papiæ loquitur: ἡ Τερτυλλιανὸς ἐν τῇ βίβλῳ τῇ περὶ τῆς ἐλπίδος τοῦ πτωχῶν, ἡ Βικτοεῖνος πεταεῖνος, ἡ Λακτάντιος ταύτη τῇ δεκίμῃ εἰλωτω. Deinde in ipso Victorino, Βικτοεῖνος π-

*πιταβίωνος ἐπίσκοπος* &c. Quòd autem in priori loco *πιταβίνος* non significet Pictaviensem, Sophronius ipse sibi testis est in Hilario Pictavorum Aquitaniæ Episcopo: *ιλάειος*, inquit, *πικταβίων ἀκοιτανίας ἐπίσκοπος*. Nam ἀπὸ τοῦ *πικταβίων* non diceretur *πιταβίνος*, vt Sophronius loquitur, sed *πικταβίνος*. In posteriori loco res est adhuc clarior. Sophronius enim Victorinum vocat *πιταβίωνος* Episcopum, & Hilarium τοῦ *πικταβίων ἀκοιτανίας*. Socrates in libro III. hist. Ecclesiast. cap. VIII. & Sozomenus in XX. lib. V. eiusdem hist. cap. XII. Hilarium non *πιταβίωνος*, sed *πικτάβων*, vel *πικταβίων*, hic τῆς πόλεως ἀκοιτανίας, ille τῆς πόλεως δευτέρας ἀκοιτανίας Episcopum appellant. Ex quo manifestè constat, Sophronium *πιταβίωνος* nomine *πικταβίου*s seu *πικταβίου*s non intellexisse. Sophronius quidem scribit primam patronymici syllabam per ἐψιλὸν, & primam nominis syllabam per ἰωτά: sed quærere istius rei causam aliena est ab hoc proposito difficultas. Nam siue sit error librarij siue non sit, inde non sequitur, idem auctori nostro *πιταβίωνος*, atque τοῦ *πικταβίων* Episcopum sonare.



## CAPVT III.

*Argumentum ex inscriptione Commentarij  
Victorini in Apocalypsim.*

**M**ARGARINVS Bignæus Parisiensis Theologus Bibliothecæ Patrum intulit Commentarium, quem Hieronymus à Victorino Petauionensi editum in Apocalypsim modò testatus est. Sic autem inscribitur : *Commentarius Victorini Pitabionensis in Apocalypsim*, quem hoc modo laudat Sixtus Senensis libro VI. Bibliothecæ annot. CCCXLV, & CCCXLVII. *Victorinus Pitabionensis hac habet in Commentariis Apocalypseos.* Sic inuenerant in antiquis manuscriptis codicibus, qui emendatricem in peius librariorum manum experti non erant, & incorrupti ad illud vsque tempus peruenierant.

## CAPVT IV.

*Argumentum ex tribus antiquis manuscriptis  
codicibus de Scripturis authenticis  
& apocryphis.*

**E**X TAT Lutetiæ Claromontano in Collegio vetus codex manu ante sæcula non pauca exaratus, qui Scripturarum & Canoni-



corum librorum notitiam repræsentat, vbi hæc leguntur: *opuscula Victorini Petavionensis apocrypha*. Huius codicis, quem celebris ille eruditionum parens Iacobus Sirmondus, dum viveret, communicavit mecum, annositatem præferunt & alia multa, & adiectus quoque Romanorum Pontificum catalogus, qui desinit in Felicem huius nominis quartum, scilicet in annum Christi DXXX. Nisi ætatis huius sit exemplar, est certè exemplum, quod quis postea descripserit fideliter. Extat etiam in Monasterio Beatæ Mariæ de Valle similis Scripturarum notitia, quæ *opuscula Victorini Pitabionensis apocrypha* denotat. Extat quoque in Bibliotheca sancti Victoris manuscripta quingentos ante annos Isidori collectio, quæ *opuscula Victorini Pitabionensis apocrypha* designat. adstipulatur Adam Clericus Claromontensis Episcopi in libro, quem de floribus historiæ omnium inscripsit, & Gregorio Papæ decimo nuncupavit. In principio libri refertur Decretum de authenticis, & apocryphis scripturis, quod habet *opuscula Victorini Pitavionensis*, non, *Pitaviensis*. Hic autem extabat inter reliquias veteris Bibliothecæ Beatæ Mariæ Parisiensis, vbi Decretum illud vidimus. Hæc autem cum ita sint, facilè perspicitur potest, in editum Burcardi Decretum, & in Luonis tam editum, quàm manuscriptum, quod habent Bibliothecæ plures, errorem irrepsisse, quatenus in eo Canonorum librorum indice *opuscula Victorini Pitaviensis apocrypha* demonstrantur; in Burcardi lib. III.

Decret. cap. ccxxi. in Iuonis part. iv. Decret. cap. lxxv. De recentioribus seu editis seu manuscriptis commentariis error, de antiquioribus æstimanda est veritas. At Burcardi & Iuonis Decreta veteres illi duo codices, & Isidoricollectio longa temporis intercapedine antecedunt.

---

## CAPVT V.

*Argumentum ex martyrologiis Vsuardi  
& Adonis.*

**V**SVARDVS Monachus sancti Germani Parisiensis, qui Carolo Magno Imperatore, & Ado Viennensis Episcopus, qui Ludouico II. floruit, antiquam de Victorino Pitabionensi traditionem retinent in suis Martyrologiis. Sic autem Vsuardus scribit ad quartum nonas Nouembris: *Natalis Beati Victorini Pitabionensis Episcopi, qui post multa documenta, ut sanctus Hieronymus testatur, in persecutione Diocletiani martyrio coronatus est.* Cui rei fidem faciunt non edita modò, sed etiam manuscripta quinque Vsuardi exemplaria, quæ in Monasterio sancti Germani inspeximus & contulimus. Sic quoque tradit Ado ad eundem diem: *Natalis sancti Victorini Pitabionensis Episcopi, qui in persecutione Diocletiani martyrio coronatus est.*

His accedit Martyrologium illud, quod ad exemplaria tria, Parisiense, Lugdunense, & Ti-

cinense recognitum Rothomagi prodiit anno Christi MDVII. ad vsum Romanæ & ceterarum Ecclesiarum. In hoc Martyrologio eadem Vsuardi verba repetuntur. Quò factum est, vt Vsuardus confirmet germanam Hieronymi lectionem, quæ controuersix finem imponit, & quæ postmodum vitiata ab imperitis, viros peritissimos decepit. Ex his autem corrigenda est Veneta Romani Martyrologij editio anni MDXLIX. & Romana per Galefinium & Baronium recensita, vbi omnia Vsuardi verba referuntur, præterquàm quòd *Pictauiensis* dicatur loco *Pitabionensis*. Deceptus ab editore Veneto Galefinius errorem imbibit, & postea Baronio propinavit, atque aliis, qui ex Baronij commentariis sapere consueuerunt: Atenim Baronius forsan probat in Martyrologio retinendum esse *Pictauensem*, non restituendum *Pitabionensem*? Minimè verò. Sed de iis, quæ perperam adducit, postea commodiùs. Hic opponendus non est Gregorius XIII. qui ad Martyrologium pondus adiecit auctoritatis suæ: Pontifex enim non magis potuit efficere, vt qui Victorinus *Pictauensis* Episcopus non exitit, Pictauiensis nihilominus extiterit, quàm, vt Synoris Antiochena Virgo & Martyr fuerit, effecit. Synoris appellatiuum nomen est, quod Galefinius & Baronius proprium reddiderant. Amultis admonitus culpæ Baronius expunxit ista, quæ in prima Martyrologij editione leguntur ad nonum Calendas Februarias: *Ibidem (Antiochiæ) sancta Synoridis martyri.*

## CAPVT VI.

*Argumentum ex tribus aliis Martyrologiis ,  
uno recens edito, & duobus manuscriptis.*

**E**X his primum est Martyrologium Monasterij sancti Laurentij Bituricensis , vetus quidem , sed nuper editum in lucem. *Natalis, inquit, sancti Victorini Pittabionensis Episcopi, qui post multa documenta, ut sanctus Hieronymus testatur, persecutione Diocletiani martyrio coronatus est. Quæ sunt ipsissima Vsuardi verba, sed ea siue Vsuardus à conditore huius Martyrologij, siue hic ab Vsuardo mutuatur, vterque eadem traditione succinctum se prodit. Alterum sancti Stephani Autissiodorensis vetustissimum, quod asseruatur in Bibliotheca Thuana: i v. nonas Nouembris: eodem die natalis sancti Victorini martyris Pitabionensis Episcopi. Vetustissimum censei debet non tempore scriptionis, quia natalem Beati Thomæ Cantuariensis continet, sed compositione verborum. Nam exaratum est ad formam veterum eiusmodi librorum, qui pauca de singulis Martyribus aut Confessoribus habent. In summa quò breuiiores & simpliciore hi libri, ed antiquiores, nisi forsan redacti in compendium, existimari solent. Tertium sancti Victoris Parisiensis, in quo dicitur: *Natalis Beati Victorini Pitabionensis Episcopi, qui sub Dio-**

*eletiano Imperatore martyrio coronatus est. Hæc eadem apud Adonem referuntur.*

---

## CAPVT VII.

*Argumentum ex prima Conciliorum editione.*

**I**ACOBYVS Merlinus Parisiensis Theologus primam Conciliorum omnium quæ reperire potuit, editionem Lutetiæ curauit anno MDXX. Hæc editio post decennium Colonienfes typos occupauit. In vtraque editione *opuscula Victorini Pitabionensis apocrypha* reponuntur. Hæc autem editio, quæ antiquis & probæ notæ codicibus fulcitur, vim deinceps passa est. Nam Petrus Crabbus alter Conciliorum editor ex Pitabionensi Pictauiensem fecit. Crabbum secuti sunt alij eorundem Conciliorum editores Laurentius Surius, Dominicus Nicolinus, Seuerinus Binius. Vt veritatis, ita & erroris fontem indicasse sufficit, quò emendatrix postea manus apponatur.

---

## CAPVT VIII.

*Argumentum ex Romanis Gratiani correctoribus.*

**G**REGORIVS XIII. Pontifex cùm alia multa, tum illud studiosè præstitit, vt

Gratiani Decretum ad vetera exemplaria recognosceretur. Recognouerunt graues & eruditi viri, & adscripserunt ad marginem Capitis Sancta Romana Ecclesia dist. xv. *opuscula Victorini Pictauiensis Episcopi, aliàs Pitabionensis.* Correctionem hanc acceperunt ni fallor ab Antonio Contio Viro doctissimo, qui editum à Demochare Gratiani Decretum collatione veterum, vt ipse loquitur, & authenticorum codicum emendauerat. Sic enim habet textus, *Opuscula Pictauiensis Victoris apocrypha.* Sed Contius ponit in margine *Victorini Pitabionensis.* Et rectè quidem, cùm veteres librorum authenticorum & apocryphorum notitiæ, quas iam laudauimus, *opuscula Victorini Pitabionensis* repræsentent.

---

## CAPVT IX.

*Argumentum ex auctoritate Garsie, qui Concilia Hispanie edidit.*

**H**ic auctor Hieronymi catalogum virorum illustrium subiecit collectioni suæ, in qua sic habetur: *Victorinus Pitabionensis martyr.* Non immeritò credi potest, Garsiam verba hæc è veteribus manuscriptis hausisse.

## CAPVT X.

*Argumentum ex silentio Fortunati Pietauiensis Presbyteri, & Gregorij Turonensis Episcopi.*

SI Victorinus Martyr Pietauiensis fuisset Episcopus, profectò aliquis ante Fortunatum, vel Fortunatus ipse Victorini certamen literis mandasset, aut nonnullo saltem carmine celebrasset. Qui Seuerini Burdegalensis, qui Germani Parisiënsis, qui Albini Andegauensis res gestas memoriæ prodidit, qui diuersorum Martyrum & Confessorum virtutes & miracula poëmatibus commendauit suis, cur illaudatum præteriisset Martyrem, qui primus apud Pietauos Christianam religionem suo sanguine consecrasset? Fortunato Gregorium Turonensem adiungimus, qui de Victorino Martyre verbum nullum facit in historia, vel in opere, quod de Martyribus composuit. Quis autem prudens & attentus non videt, vtriusque silentium obruere quicquid excogitari potest, ad recentis admodum opinionis, nisi dicam veriùs hallucinationis defensionem?



## CAPVT XI.

*Argumentum ex Bedæ libello de locis sanctis.*

VENERABILIS Beda, qui ad annum DCCXX. claruit, in libello de locis sanctis meminit Pictabionensis Ecclesiæ, cuius Victorinum facit Episcopum: sic enim loquitur: *Qua ductus opinione Victorinus Pictabionensis antistes Ecclesiæ de Golgotha scribens ita inchoat:*

*Est locus ex omni medium, quem cernimus orbe.  
Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.*

Hæc in capite II. Codicis MS. qui annos supra quingentos exaratus asservatur in Bibliotheca Regia. Nam in editis exemplaribus Basileæ anno M. D. LXIII. & Colonia anno M. DC. XII. cap. III. corruptè legitur *Pictanien-  
sis*. Librariorum vitium est, quod emendari debet.

## CAPVT XII.

*Argumentum ex Ioanne Auentino Boiorum Historico.*

INTER Germanicarum rerum scriptores, qui annis abhinc ducentis vixerunt, primas



tenere mihi videtur Ioannes Auentinus qui libro II. Annalium Boiorum Victorinum Petauionensem sic attingit, vbi sermo est de iis, qui Maximiano imperante martyrium subierunt. *Tum apud nos & in Prouinciis, quas Boii incolunt, interempti sunt Diuus Maximilianus Archimystes Laureacensis, Florianus tribunus cum XL. militibus, Quirinus, Victorinus Petauionensis Episcopus, quorum Diuus Hieronymus meminit.*

---

## CAPVT XIII.

*Argumentum ex prisco more Christianorum, qui suos Martyres nunquam incelebratos dimiserunt.*

**V**ETVS fuit Christianorum institutum, vt aris, puluinaribus, templis, sacrificulis honestarentur antistites, qui primi in aliqua vrbe religionem veram martyrio aut illustri confessione consecrauerant. At neque in vrbe, neque in pago Pictauiensi vlla est Ecclesia, Monasterium vllum, vlla ædícula, quæ Victorinum Episcopum & Martyrem hæctenus sibi vindicauerit patronum. Deinde Ioannes Buchetus, qui centum & viginti abhinc annos & ampliùs Aquitaniæ historiam edidit, de aliis Episcopis ex ordine loquitur, sed de Victorino Pictauiorum Episcopo scriptum nihil reliquit. Tum denique nullum extat ante annos

quadraginta Pictaviensis Ecclesiæ Breuiarium, Calendarium nullum, Manuale nullum, nullæ Litiariæ, nullus tandem Ecclesiasticarum rerum codex, in quo Victorini Martyris nomen commendetur. Id autem de cuius ciuitatis nobilissimo apud veteres Apostolo, vel Martyre factum est vnquam? quo id fuisse factum exemplo probaretur? hoc momentum non vrgeo amplius, cum res ipsa suo lumine manifesta reddatur.



NONNULLÆ IN EXPOSITAM  
de Victorino Petauionensi Episco-  
po & Martyre traditionem  
obseruationes.

**R**ÆTER ea, quæ suis identidem locis corrigenda monuimus, supersunt quædam alia, quæ adhuc curiosius animaduertantur. Non enim quolibet in loco quodlibet dicere licuit, ne rationes nostræ *σφαλμάτων* corrigendorum multitudine obruerentur. Sua est cuique rei dicendæ alia atque alia opportunitas.

## OBSERVATIO PRIMA.

*De variantibus in Petauionensi, Petabionensi, Pictauionensi, & Pitabionensi codicibus.*

**N**EMINI debent negotium faceffere, cum manu exarati, tum typis mandati codices, qui nunc *Petabionensem*, nunc *Petauionensem*, nunc *Pictabionensem*, nunc *Pitabionensem* Episcopum representant. Quod nostri, id est, Christiani scriptores in patronymico fecerunt, id quoque in ipso nomine antea fecerant externi. Nam Tacitus lib. III. hist. scribit *Petauionem*, cum de hac vrbe sic loquitur: *Meliore fato fideque Flavianarum partium duces belli consilia tractabant, Petauionem in hiberna XIII. legionis conuenerant.* Æthicus in Cosmographia cum celebrioribus oppidis, quæ Oceanus Occidentalis habet, *Pœtauionem* adnumerat: deinde dum sermonem de huius Oceani fluminibus instituit, *maris Pœtauionensis* ita meminit: *Bicornius ducit à mari Pœtauionensi usque ad mare Tyrrhenum contra insulas Baleares.* Antoninus Imperator in Itinerario prouinciarum, eandem scripturam retinet à *Vindobona Pœtauione M. P. CLXXXIV. sic &c.* à *Pœtauione Siscia M. P. C. sic, &c.* Antoninum sequuntur Tabulæ Peutingeri. Ammianus Marcellinus *Petabionem* dicit lib. XIV. hist. *Taurus quæstor venit Petabionem oppidum Noricorum.* Ptolemæus à Petro Bertio recognitus lib.

II. cap. xv. exhibet *πεταύιον* & *Pœtauium*. Ioannes Auentinus libro II. Annalium Boiorum in Theodosio Magno Imperatore significat urbem hanc olim dictam esse Petauionem & suo tempore Petanionem : verba sunt: *Saxonum quoque auxiliares copia ad Illyrici tutelam ab Augustis accita vires Maximi fundunt, cadunt circa Sisciam superioris Pannonia urbem, & circa Petanionem, quam Marcellinus, Ambrosius & Antoninus Petauionem vocant, & Hieronymus & Sophronius Petabionem nuncupant, quemadmodum & in vetustis membranis, & in actis Pontificum Iuuanensium scriptum reperi. Noricorum id oppidum nomen seruat, à quo Siscia centum millia passuum, sicut ab Aquileia ducenta absint.*

Hæc autem cùm ita se habeant, nostri scriptores ad Taciti, Æthici, Antonini, veterum tabularum, & Ammiani exemplum modò Petauionensem, modò Petabionensem describunt.

Quòd autem in certis quibusdam codicibus *Piëtauionensis*, pro *Petauionensis*, inueniatur, error est semidoctorum librariorum, qui rectè scriptum vocis istius initium mutarunt. Scilicet cùm *Petauionem*, vnde *Petauionensis* dicitur, non cognoscerent, *Piëtauum* verò *Piëtauis*, *Piëtauium* apud ætatis mediæ scriptores legerent, ex eo vocis nostræ principium malè correxerunt. Verùm, quia *Piëtauionensis* rectè dici nequit, hic error & seipsum destruit, & antiquam orthographiam confirmat. *Petabionensis* quoque dicitur à *Petabione*, quod oppidum

ita nominat Ammianus Marcellinus, Sed *Petauionensis* dicitur rectius. Nam Petauio Germana est nomenclatio, quam auctores Latini apprimè nouerant, Tacitus, Antoninus, & qui veteres Imperij tabulas delinearunt. Ita scribit Sanctus Ambrosius in libri II. Epistola XVII. *Ille igitur statim à Francis, à Saxonum gente, in Sicilia, Siscia, Petauione ubique denique terrarum victus est.* Auentinus urbem hanc ab Ambrosio Petauionem vocatam obseruauerat, Sic habet Ambrosij editio Parisiensis anni MDXXXIX. MDLXXXVI. MDCIII. MDCXIV. ex editione Romana & MDCXXXII. Basiliensis anni MCCCCXCII. MDXXVII. & MDXXXVIII. Erasmicæ. Colonienfis anni MDCXIV. Verùm quam urbem Græci appellant *πεταβίωνα*, Marcellinus genere Græcus, Latinè scribens *Petabionem* appellat; è Græca voce Latinam fecit, cùm Latina uti deberet. In pluribus editis & manuscriptis exemplaribus legitur *Pitabionensis* non *Petabionensis*, sed si res ad Latinam vel Græcam recenseatur originem, id comperietur scribarum visum esse. Utrobique Petauio & *πεταβίων*, non *Pitauio* aut *πιταβίων* exaratur. Græci quidam in eadem voce ε in ι mutant pro varia Dialectorum ratione: sed hoc ad Latinos quid attinet? Ptolemæi verò tabulæ nisi corruptæ sint, auctori placuit *Petauionem* reddere *πεταβίων*: quæ duo nomina parum inter se habent affinitatis. Porro sicubi, quod facile credo, media in voce patronymicâ litera vna mutatur in aliam, quærendam non est myste-

rium, sed notariorum incuria sola culpam merito potest.

## OBSERVATIO II.

*Emendatus quidam Optati Mileuitani locus.*

CVM iam certo certius constet, Victorinum Petauionensem, seu Petabionensem non Pictaviensem fuisse Episcopum, credendum est omnino, accidisse librorum culpa, ut apud Optatum Mileuitanum libro I. sic legatur: *Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, & ceteri temporibus suis à Victorino Pictaviensi, à Zephirino Urbico, & Tertulliano Carthaginiensi usque ad Cataphrygas, & ab aliis assertoribus Ecclesie Catholicae superati sunt.* Hoc autem loco pro, *Pictaviensi*, reponendum est, *Petauionensi*, seu quod idem est, *Petabionensi*. Franciscus Balduinus in prima Optati editione reliquit, *Pecaniensi*, quæ aliena & fictitia vox est. Eam retinuit Petrus Vielus Parisiensis Theologus, qui huius editionis Optatum Gallicè vertit. Idem Balduinus in alia editione pro *Pecaniensi* posuit *Pictaviensi*, nec rationem talis mutationis ullam reddidit. Secutus est opinor corruptum codicem, aut Hieronymum, quem Marianus Victorius Romæ perperam emendarat. Non dissimulavit tamen mendosus fuisse Optati libros, & restare multa, quæ adhuc post suas curas correctorem exigent: adscribo illius verba, quibus utrumque testa-

tur in editione Parisiensi anni MDLXIX. Porro, inquit, cum veterum, præsertim Afrorum libri Latine scripti multis librorum mendis contaminati sint, vix ullum puto unquam fuisse magis deprauatum, quam hunc Optati libellum. Nam & ipsi Donatista statim atque editus fuit, eum corruerunt, & ut erant impudentes, discerptum inquinaverunt, & barbara librorum posteritas multis maculis propè oppressit. Itaque & multis faculis, tanquam in sepulchro delituit, & cum in lucem eum protulit Cochlei editio Germanica, plura menda fuerunt, quam versus. Ego in priori editione Parisiensi operam dedi adiutus collatione exemplaris manuscripti, quod mihi communicauerat Espenceus Theologus, ut sexcentos saltem locos emendarem. Nunc non multò pauciores emendabit altera hæc editio duobus manuscriptis, seu ehirographis exemplaribus subnixa, quorum alterum Ioanni Tilio Episcopo Meldensi, alterum Macereo Theologo Parisiensi debemus. Multum tamen abest, ut dicam Optatum nunc tandem in integrum planè esse restitutum. Imò feci ut lacunarum note indicarent, aliquot locos superesse etiamnum mutilos. Hæc ille in exordio suarum Annotationum. Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus, & Mericus Casaubonus Isaaci filius Optati editionem eodem anno MDCXXXI. curarunt, hic Londini, ille Lutetia, & in Victorino Pictaviensi nihil correxerunt. Quinetiam Albaspinæus cum dixit in suis notis Victorinum multa scripsisse teste diuo Hieronymo, quorum ne paginam

*quidem habemus*, profectò non adiecerat oculos ad Bibliothecam Patrum, in qua huius auctoris commentarij in Apocalypsim reperiuntur. Optatus verò cùm Victorinum collocat in eorum ordine, qui Marcionem, Praxeam, Sabellium, Valentinum, & ceteros hæreticos suis operibus contriuerant, respicit ad libros, quos *aduersus omnes hæreses* edidisse tradit Hieronymus in libro de viris illustribus.

Ceterùm correctiorem Optati editionem meditabatur Nicolaus Rigaltius vir cùm aliis omnibus, tum Africanis maximè disciplinis excultissimus, quem pæne octogenarium mors immatura nuper abripuit Tulli Leucorum ad VII. Calendas Martias: Immaturam dico mortem, quia deberent in multa sæcula viuere, qui publicis vtilitatibus & studiis inseruiunt. Qua ratione immaturior fuit adhuc excessus Petri Puteani viri quoque præstantissimi, & ad iuuandas artes omnèque officij genus nati, cuius vitam cùm in lucem dedit Rigaltius, propriam statim amisit, quasi rerum omnium arbiter præpotens Deus noluerit auctorem operi tam egregio, quàm necessario superesse. Non homo quidem supererit, sed hominìs memoria, quandiu supererunt literæ, quia Puteanus æquè ac Rigaltius æternùm futura sunt nomina, vt honorum ciuium, ita & literarum. Istud fortasse *πάρεργον* videbitur, sed hïc *μειζοτερον ἔργον* censeo, non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente prouerbium, aut aliquid simile fecerunt. Scilicet in gratiam est duo-



rum hominum, quibus debetur æternitas, qui eo ipso cari omnibus semper erunt ac desiderandi, quòd in vita cùm essent, relictis pluribus monumentis prospexerint, ne desiderarentur.

## OBSERVATIO III.

*Honorius Augustodunensis, Antonius Demochares, Antonius Posseninus, & Auber-  
tus Miræus corriguntur.*

SECUNDVM ea, quæ argumentis tredecim exposuimus, nullum est dubium, quin scriptores isti quatuor errauerint, quando Victorinum appellarunt *Pictaviensem* Episcopum. Honorius quidem in catalogo Sanctorum, nisi fortean error in librarios transferatur. Etenim cùm Pictaviensis & Petauionensis seu Petabionensis non multùm inter se differant, *Petauionensis* seu *Petabionensis* in *Pictaviensem* facilè conuerti potuit à librariis, qui vtrum in orbe sit vrbs dicta *Petauio*, seu *Petabio*, nescirent.

Demochares libro III. de sacrificio Missæ locutus de primo Pictauorum Episcopo semel atque iterum errauit. Illius verba sunt: *Primum constituemus Episcopos per ordinem sedis Pictaviensis, quorum sequitur numerus iuxta Bouchetum in Annalibus Aquitania: Sanctus Victorinus, seu Nectarius in catalogo Sanctorum libro 10. & in catalogo Scriptorum Ecclesiastico-*

*rum anni* MDLXI. In primis fallitur significans, Buchetum Victorini meminisse. Non enim meminit, tantum abest, ut pro vno & eodem Episcopo Victorinum & Nectarium computarit. Deinde fallitur, dum eandem confusionem in vtrumque illum catalogum transfert. Neque enim Petrus Equilensis Episcopus in catalogo Sanctorum, neque Marianus Victorius in Hieronymi catalogo virorum illustrium qui Romæ cum reliquis operibus prodierat anno MDLXI. Nectarium Pictaviensem Episcopum attingunt. Demochares in hunc geminum errorem venit, cum ex vna parte in Pictaviensium Episcoporum indiculo, quem Buchetus confecerat, Nectarium primum, nec vllum Victorinum offenderet; ex altera verò, cum in Petri catalogo Sanctorum, qui similia multa habet flagitia, & in Hieronymi catalogo virorum illustrium, quem Victorius malè correxerat, Victorinum Pictaviensem Episcopum videret. Tunc autem nescius Demochares, quo in loco Victorinum statueret, eum cum Nectario confudit.

Possevinus dum in Apparatu sacro ait, *Victorinus Pitabionensis, rectius Pictaviensis* &c. errantes Honorium, Victorium, Democharem, & deprauatum Gratiani Decretum secutus est, atque illorum vestigia impleuit.

Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica de Victorino perinde loquitur, quasi nullus vnquam eum Petaviensem seu Petabionensem Episcopum fecisset. Victorinum igitur simpliciter

appellat *Pictaviensem* Episcopum , cui eos tribuit libros , quos Petabionensi Hieronymus & Sophronius tribuerant. Hoc vti præstaret, Hieronymi, Gelasij in decreto descripturis authenticis, Honorij Augustodunensis & Baronij auctoritate vtendum sibi esse duxit. Sed immeritò , vt iam notavi, si tamen excipiatur Baronius , de quo proximè dicturus sum non nihil. Miræus , vt apparet, rem non indagavit altiùs, & viam iniuit, quæ latè patebat in errorem.

## OBSERVATIO IV.

*Excutiuntur Baronij note ad quartum nonas  
Novembris Martyrologij Romani.*

**S**UB finem capitis v. significavi , Martyrologium Romanum in iis , quæ ad Victorinum Petabionensem attinent , superiori sæculo passum esse mutationem , scilicet ex *Petabionensi* factum esse *Pictaviensem*. Illatam huic Martyrologio nouitatem ita confirmat Baronius ad secundum Nouembris : *De quo Beda, Vfsuardus , Ado & Petrus in Catalogo lib. x. cap. XII. scribit de eo sanctus Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

At primùm quidem , cùm genuinum Bedæ non extet Martyrologium , de Victorino quid Beda censuerit , vtrum Petabionensem , an Pictaviensem vocauerit , immo vtrum Victorini meminerit , certò pronuntiari nequit. Nam Martyrologij , quod est sub nomine Bedæ vulgatum,

gatum, dies pleni sunt omnes, contra quam Vsuardus affirmat in Epistola ad Carolum Imperatorem: *Præterea, inquit, & venerabilium, Hieronymi scilicet & Bedæ Presbyterorum piis quamuis succinctis super hoc prouocabar descriptis ( Martyrologiis. ) Quorum prior breuitatē studens, alter verò quamplures Calendarum dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis præteruisse necessaria: quos tamen secutus censis, & Flori memorabilis viri latiora iam in eo ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo eiusdem libro. Hæc autem cum ita sint, non dubito, quin si Beda Victorini meminerit, eum Petabionensem appellarit: quo modo Vsuardus qui Bedam sequi se testatur, appellauit. Bedæ & Vsuardi tempore Victorinum nostrum omnes Petabionensem seu Petanionensem appellabant.*

Vsuardus & Ado de Victorino Petabionensi non Pictauiensi loquuntur; vt mirum planè sit, ista non aduertisse Baronium, qui aliàs in Petro de Natalibus non fallitur, sed fallitur ipse Petrus, dum ita scribit: *Victorinus Pictauiensis Episcopus sub Diocletiani persecutione martyrium passus est, qui scientia & doctrina clarus opuscula nonnulla sacrae fidei perutilia compilauit. Commentarios enim edidit in Genesim, &c. Hæc Hieronymus libro de viris illustribus.* Fallitur, inquam, Petrus, cum Hieronymo tribuat, quæ Hieronymus non dixit. Nam in chirographis Hieronymi exemplaribus Petabionensis, non Pictauiensis legitur: deinde in editis Romæ exemplaribus,

quæ Petrus videre potuit, *Petabionensis* habetur in *Victorino*, de quo nunc agitur. Petrus aut Petri librarius *Pictauiensem* pro *Petabionensi* malè accepit. Tum quod rei caput est, Hieronymus in libro de viris illustribus *Petauionensem* dixit, non *Pictauiensem*. Hæc res confecta est cap. 1. huius Dissertationis. Baronius legit editionem Hieronymi recensitam à Mariano Victorio, qui & Baronium ipsum, & plures alios in eandem secum traxit ruinam. Hoc autem magni ac præstantes viri habent, vt soli non errent, sed & aliis errandi præbeant occasionem. Ad annum Christi ccciii. in eadem culpa persistit, sed tollendam esse breui scholio significat Henricus Spondanus *Annalium Ecclesiasticorum breuiator*.

Porro vbi nescio quam spuriam Synodum Romanam admisit, in qua damnatur Victorinus, qui Paschales cyclos composuit, multum sibi creat negotij, vt Victorinum nostrum à Victorino, vt loquitur, Aquitano distinguat. Sed istud non retracto, ne imitari videar eum, qui hoc mali genus suo sibi iumento accersit.

## O B S E R V A T I O V.

*Victorinos apud Hieronymum non fuisse duos,  
Pictauiensem vnum, alterum  
Petauionensem.*

**S**I Erasmus, & si qui alij, Victorinos apud Hieronymum fuisse duos, *Pictauiensem* v-

num, qui & in catalogo, vbi sermo est de Papia, & in libro contra Heluidium laudatur; Petauionensem alterum, qui & in eodem catalogo, & in epistola LXXV. contra Vigilantium, & in caput XXXVI. Ezechielis notetur, crediderint, sine dubio errarunt. Idem enim Victorinus in locis illis quinque laudatur. Hieronymus quidem opera Victorini alterius recenset; sed Afer ille cum sit, hanc qua de agimus, causam nihil iuuat. Miramur duntaxat, Erasmus, virum ceteroquin accuratissimum in editione Hieronymi permisisse, vt Victorinus nunc *Pictauiensis*, nunc *Petabionensis* seu *Pictanionensis* vocetur; deinde in scholiis ad epitaphium Nepotiani Victorinum appellasse *Pictauiensis* Episcopum; tum ad librum contra Heluidium notasse Victorinum ab Hieronymo *Pictauiensis* dictum, vt eum à *Victorino Afro*, cuius meminit Augustinus, discerneret: quasi verò Victorinus Petauionensis, & Victorinus Afer non apprimè discernerentur. Porro in exemplaribus siue editis, siue manuscriptis, quibus vsus est Erasmus, credo talem fuisse nœuum, qualem exhibuit, sed debuit adhibitis pluribus bonæ notæ codicibus expungere.

Præposteram Mariani Victorij diligentiam nihil moror. Nam ille pro *Petabionensi* vbique *Pictauiensis* posuit, cum duobus in locis *Petabionensem* relinquere, & duobus in aliis restituere debuerit, vbi *Pictauiensis* falsò ponebatur. Mariani Victorij verba sunt ad librum

de Scriptoribus Ecclesiasticis in Victorino: *Olim Pitabionensis, Pictaenensis in libro contra Heluidium nuncupatur, & ita habet maior exemplarium pars. Alibi in Hieronymo Pictaionensis legitur, scilicet in epistola, quæ est contra Vigilantium.* quando maiorem exemplarium partem citat, de mandatis prælo exemplaribus sermonem facit. Quinque nihilominus editiones præcesserant, Romanæ duæ, Venetæ duæ, & Basileensis vna, in quibus *Pitabionensis seu Pictaionensis* exaratur. Reliquæ septem exhibent *Pictaensem*: sex tamen sunt Erasmicæ omnes, ac proinde vna. De manuscriptis verò non loquitur, aut si loquitur, verè loqui non potest. Vtrumque ex cap. i. facilè perspicitur, ubi quid habeat editus vel manu exaratus Hieronymi contra Heluidium commentarius, abundè repræsentatur.

## OBSERVATIO VI.

*Nondum annus est tricesimus, ex quo Picta-  
niensis Ecclesia Victorinum Episcopum  
agnouit suum.*

**H**ACTENVS tria potissimùm confecimus; Victorinum in-primis non fuisse *Picta-  
niensem, sed Petanionensem* Episcopum: dein-  
de quinque Hieronymi loca, quæ in vulgatis  
ab anno MDLXI. illius libris deprauata sunt,  
pristinæ integritati restituenda esse, & pro *Pi-  
ctaniensi* resumendum *Petanionensem*: tum erra-

tum ab iis esse, qui rem istam aliter acceperant. Nunc ad Ecclesiasticam historiam pertinet notare, quo primùm tempore, & quibus auctoribus Pictaviensis Ecclesia Victorinum in suum Episcopum admiserit. Id autem triginta abhinc annis accidit, duobus maximè collaborantibus viris Ioanne Fillæo Cantore & Officiali Pictaviensi, & Ioanne Beslio Aduocato Regio. Hic enim cùm esset vir doctus, audirétque talis, dedit initium rei, quando Pictaviensium Episcoporum seriem contexuit, & in hac Victorinum ductus auctoritate eorum, quorum errores confiximus, principem collocavit. Ille verò rem absolvit, dum Beslio nimium credulus Calendario, quod reficiendum sibi sumpsit, Victorinum Episcopum & martyrem Pictaviensem inseruit. Hoc totum confirmavit Episcopus, dum hinc Victorini natalem festi duplicis ritu celebrari voluit, inde Litanias, vt vocat, Pictonicas composuit, in quibus Victorinus martyr & Pictavorum Episcopus orandus proponitur. Ad Litaniarum probationem attexuit vnicum Hieronymi librum de illustribus Ecclesæ Scriptoribus: Ex quo etiam vna nocturni secundi lectio desumpta, Breuiarium occupavit. Hoc autem nunc ita exposuisse: confutasse est. Laudo quidem Episcopum, quòd Victorinum martyrem orandum & præcipua festiuitate colendum Diœcesanis suis proponat, sed quòd eum Pictavorum antistitem faciat, laudare non possum. Primum adscribitur dogmatibus Catholicæ Ec-



clesiæ, in qua Sanctos beatam cum Christo vitam degentes cuiuscunque sint nationis, oramus, ut sint pro nobis aduocati & intercessores apud Deum. Secundum pertinet duntaxat ad historicum scribendi genus, in quo etiamsi primâ lex sit, ne quid dicatur falsi, tamen *aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores inter se salua fidei compage non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius*, ut Augustini verbis utar, quæ in libri I. contra Iulianum capite VI. habentur.

I AM in his, opinor, erudite FAVVÆE, te ipsum agnoscis, iam vides in hac opusculi mei nuncupatione non tam accepisse te beneficium, quàm dedisse. Quare in sinum tuum confugiat oportet, ut si quid in eo prauum sit ac distortum, tu castigator amantissimus & emendator contingas.





AD SUPERIOREM  
DISSERTATIONEM  
APPENDIX

DE QVINQVE ILLVSTRIBVS  
VICTORINIS.



De superiore Dissertatione, quæ de Petauionensi & continenter de quatuor aliis Victorinis obseruari possunt, attexere, nec est meo quidem iudicio superuacaneum, nec quæsitæ, sed vltro oblata videtur occasio. Victorinos illustres eo dico sensu, quem in catalogo Hieronymus obiicit, recensens eos, qui scriptis nobilitarunt sese, siue in Ecclesia profecerint, siue ab Ecclesia defecerint.

VICTORINVS *Praxeana hereseos  
defensor.*

IGITUR primus, vt seruetur ordo temporis, est Victorinus ille, quem Tertullianus exprimit libro de præscriptione hæreticorum

## 40 DE QVINQVE VICTORINIS

cap. vltimo: *Sed post hos omnes, inquit, etiam Praxeas quidam hæresim introduxit, quam Victorinus corroborari curauit. Hic Deum Patrem omnipotentem, Iesum Christum esse dicit, hunc crucifixum, passumque esse contendit & mortuum. Præterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam cum profana & sacrilega temeritate proponit. Sic Hieronymus illustrem vocauit Tatianum ἐγκραπτόν principem, Bardesanem ex Valentini oppugnatore factum nouæ hæreseos conditorem, Nouatianum Catharorum auctorem, Basilium Ancyranum antistitem Macedoniæ partis columen, Donatum Africanis schismatis architectum, Asterium Arianae factionis Philosophum, Photinum Sirmiensem Episcopum propriæ hæreseos assertorem, & alios Christianæ fidei & pacis hostes, quos catalogo virorum illustrium adscripsit.*

VICTORINVS *Petauionensis Episcopus*  
& *Martyr.*

**A**LTER est Petauionensis noster, à quo superatos Praxeam, Sabellium, Valentinum & ceteros Christianæ legis aduersarios Optatus scribit, & cuius libros Hieronymus in catalogo recenset. Vtriusque verba in Dissertatione retulimus, sicut & nonnulla alia, quæ in libro contra Heluidium, in epistola contra Vigilantium, in Papia Hierapolitano Episcopo, & in cap. xxxvi. Ezechielis Hieronymus laudat. Sed præterea Victorini octies

adhuc meminit suis in operibus.

Et primò quidem in præfatione Commentarii super Matthæum: *Legisse me fateor ante annos plurimos in Matthæum Origenis viginti quinque volumina, & totidem eius homilias, commaticumque interpretationis genus, & Theophili Antiochena urbis Episcopi commentarios, Hippolyti quoque martyris, & Theodori Heraclæota, Apollinariique Laodicensi, ac Didymi Alexandrini, & Latinorum Hilarij, Victorini, Fortunatiani opuscula, è quibus etiam si parva carperem, dignum aliquid memoria scriberetur.*

Deinde in epistola ad Paulinum de Institutione Monachi: *Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest.*

Tum in epistola ad Magnum oratorem Romanum: *Victorino martyri in libris suis licet desit eruditio, non tamen deest eruditionis voluntas.* Id autem intelligendum esse de sæcularium disciplinarum eruditione, docet argumentum epistolæ, qua libris Ecclesiasticis cur admisceret Ethnicorum literas, rationem reddidit, & longa Patrum enumeratione se id, quod illi fecerant antea, facere demonstrat.

Quartò in primo Commentariorum Esaiæ ad Eustochium virginem præmio: *Ceterum apud Latinos grande silentium est, præter sanctæ memoria martyrem Victorinum, qui cum Apostolo dicere poterat, etsi imperitus sermone, non tamen scientia: scripsit enim in hunc Prophetam iuxta editiones quatuor usque ad visiones quadripedum in deserto.*

## DE QVINQVE VICTORINIS

Quintò in cap. i v. Ecclesiastæ ad illud<sup>3</sup>  
*Melior est puer pauper & sapiens, quàm rex se-  
nex & stultus: Origenes & Victorinus non mul-  
tum inter se diuersa senserunt.*

In tribus locis quæ sequuntur, Victorinus  
quidem laudatur, sed num Petauionensis ille  
sit an Afer, non ita mihi constat: hoc igitur  
præmonendum esse censui.

Sextò in Apologia aduersus Iouinianum:  
*Tacco de Latinis scriptoribus Tertulliano, Cy-  
priano, Minutio, Victorino, Lactantio, Hilario,  
ne non tam me defendisse, quàm alios videar  
accusasse.*

Septimò post alia: *Scilicet nunc enumeran-  
dum mihi est, qui Ecclesiasticorum de impari nu-  
mero disputarunt, Clemens, Hippolytus, Orige-  
nes, Dionysius, Eusebius, Didymus, nostrorum-  
que Tertullianus, Cyprianus, Victorinus, La-  
ctantius, Hilarius.*

Octauò in epistola ad Heliodorum de epi-  
taphio Nepotiani: *Atque in hunc modum eru-  
ditionis gloriam declinando eruditissimus habe-  
batur: illud, aiebat, Tertulliani, istud Cypriani,  
illud Hilarij est: sic Minutius, ita Victorinus,  
in hunc modum est locutus Arnobius.*

Cassiodorus in libri de diuinis lectionibus  
capite v. *Secundus verò liber Salomonis, qui  
appellatur Ecclesiastes, à B. Hieronymo patenter  
expositus est. & quibusdam interiectis: de quo  
libro & Victorinus ex oratore Episcopus nonnul-  
ta differuit. Rursus cap. vii. Matthæum Bea-  
tus Hieronymus iterum bis binis libris exposuit,*

quem etiam sanctus Hilarius in uno volumine declaravit, de quo & Victorinus ex oratore Episcopus nonnulla disseruit. Iterum cap. ix. Apocalypsis sancti Hieronymi expositione conspicua est, de quo libro & Victorinus sapedictus Episcopus difficultia quedam loca tractavit.

His accedit præfatio, quæ Commentario Victorini in Apocalypsim præfigitur, ad Anatolium: ea autem sic se habet: *Diversos marina discrimina transuadantes inveniunt casus. Si turba ventorum fuerit vehementior, formido est. Si terga iacentis elementi moderatior crispauerit aura, pertimescunt insidias. Ita mihi in hoc videtur, quod misisti, volumine, quod in Apocalypsim explanationem videtur continere Victorini. Et est periculosum, & obtrectatorum latratibus patens de egregy viri opusculis iudicare. Nam & anterior Papias Hieropolites Episcopus, & Nepos in Ægypti partibus Episcopus de mille annorum regno, ita ut Victorinus senserunt. At quia me literis obtestatus es, nolui differre, sed ne spernerem precantem, maiorum statim libros reuolui, & quod in eorum commentariis reperi, Victorini opusculis sociavi. Ab iota inde, quæ ipse secundum literam senserit, à principio libri ad signam crucis, quæ ab imperitis vitiata erant scriptoribus, correximus. Exinde usque ad finem voluminis addita esse cognosce. Iam tuum est discernere, & quid tibi placeat, comprobare.*

Optimum mihi videtur iudicium, quod Sixtus Senensis libro vi. Bibliothecæ Annotat. eccxlvii. tulit de hæc præfatione & de Vi-

## 44 DE QVINQVE VICTORINIS

torini Commentariis in Apocalypsim. Est autem eiusmodi : *Ceterum quod ad Victorini sententiam ( de spatio mille annorum ) attinet, cum ipse commentariolum, qui nunc in Apocalypsim eius nomine circumfertur, semel atque iterum ad perquirendum hunc errorem pertinaciter euoluissem, tantum abest, ut quod ei impingit Hieronymus, inuenerim, ut etiam in fine opusculi inciderim in apertam erroris huius confutationem, in qua cum auctor propositum Ioannis caput Catholicè differuisset, demum commentarium suum conclusit his verbis : Ergo audiendi non sunt, qui mille annos regnum terrenum esse confirmant, qui cum Cherintho haeretico sentiunt. Verisimile est aut opus non esse Victorini & ementitam esse praefationem sub Hieronymi titulo volumini praefixam, aut inde vel ab Hieronymo, vel ab alio amico lectore sublatam esse absurdam Victorini explanationem, & in locum ipsius eam, quae nunc habetur, repositam. Quae una coniectura ceteris probabilitate mihi videretur antecellere, si penitus constaret à Victorino explanatam Apocalypsim fuisse totam : Sed ne id constet, Cassiodorus impedit, qui tantum illi tribuit difficilium quorundam Apocalypseos locorum enodationem. Quò fit ut me recipiam ad aliam coniecturam, qua merito dubitari potest, utrùm Hieronymi sit ea, quam retulimus ad Anatolium Praefatio. Ad Victorini commentarium in Apocalypsim, quem habemus in Bibliotheca Patrum, quod attinet, fieri potest, ut ( si Cassiodoro creditur ) partim*

illius sit, partim alterius : illius quidem in iis, quæ difficultium locorum explicationem contineant : alterius verò, qui reliquorum locorum expositionem suppleuerit. In summa res ista tota in eum adducta est statum, vt certum sit, nihil esse certi, quod verè affirmatè que dici queat. De reliquo in Dissertatione notauimus diem, quo natalis Victorini Martyris in Ecclesia celebretur.

VICTORINVS *Afer, Rhetor urbis Romæ.*

**T**ERTIVS est Rhetor ille, cuius conuersionem eleganter narrat Augustinus lib. Confes. VIII. cap. II. *Perrexi ergo ad Simplicianum patrem in accipienda gratia tua tunc Episcopi Ambrosij, quem verè vt patrem diligebat. Narravi ei circumitus erroris mei. Vbi autem commemoravi legisse me quosdam libros Platoniorum, quos Victorinus quondam Rhetor urbis Romæ, quem Christianum defunctum esse audiveram, in Latinam linguam transtulisset, gratulatus est mihi, quòd non aliorum Philosophorum scripta incidissem, plena fallaciarum & deceptionum secundum elementa huius mundi. In istis autem omnibus modis insinuari Deum & eius verbum. Deinde vt me exhortaretur ad humilitatem Christi sapientibus absconditam, & reuelatam paruulis, Victorinum ipsum recordatus est, quem, Romæ cum esset, familiarissimè nouerat, deque illo mihi narrauit, quòd non silebo. Habet enim magnam laudem gratiæ tuæ confidendam tibi, quemadmodum ille doctissimus se-*



nex, & omnium liberalium doctrinarum peritissimus, quique Philosophorum tam multa legerat, & diiudicauerat & dilucidauerat, Doctor tot nobilium Senatorum, qui etiam ob insigne praeclari magisterij, quod ciues huius mundi eximium putant, statuam in Romano foro mernerat & acceperat, usque ad illam aetatem venerator idolorum, sacrorumque sacrilegorum particeps, quibus tunc tota ferè Romana nobilitas inflata spirabat, populúsque etiam omnigenum deum monstra, & Anubem latratorem, quae aliquando contra Neptunum & Venerem, contraque Minervam tela tenuerunt, & à se victis iam supplicabat, quae iste senex Victorinus tot annos ore terricrepo defensitauerat, non erubuerit esse puer Christi tui, & infans fontis tui subiecto collo ad humilitatis iugum, & edomita fronte ad crucis opprobrium. O Domine, Domine, qui inclinasti celos & descendisti, tetigisti montes & fumigauerunt. Quibus modis te insinuasti illi pectori. Legebat sicut ait Simplicianus, sanctam scripturam, omnesque Christianas literas inuestigabat studiosissimè & perscrutabatur, & dicebat Simpliciano, non palam, sed secretiùs & familiariùs: *Nonne ris me iam esse Christianum.* & respondebat ille: *Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro.* Ille autem irridebat eum dicens: *Ergone parietes faciunt Christianos?* Et hoc saepe dicebat, iam se esse Christianum, & Simplicianus saepe illud respondebat, & saepe ab illo parietum irriso repetebatur. Amicos enim suos verebatur offendere, superbos

*damonicolas, quorum ex culmine Babylonica dignitatis quasi ex Cedris Libani, quas nondum contriuerat Dominus, grauius ruituras in se inimicitias arbitrabatur. Sed posteaquam legendo & inhiando hausit firmitatem, timuitque negari à Christo coram Angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri, reusque sibi magni nominis apparuit, erubescendo de sacris sacrilegis superbiorum demoniorum, quae imitator superbus acceperat: depuduit vanitati & erubuit veritati; subitoque & inopinatus ait Simpliciano, ut ipse narrabat, Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non capiens se letitia, perrexit cum eo. Vbi autem imbutus est primis instructionum sacramentis, non multo post etiam nomen dedit, ut per baptismum regeneraretur, mirante Roma, gaudente Ecclesia. Superbi videbant & irascebantur, dentibus suis stridebant, & tabescebant. Seruo autem tuo Dominus Deus erat spes eius, & non respiciebat in vanitates & insanias mendaces. Denique ut ventum est ad horam profitendae fidei, quae verbis certis conceptis retentisque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romae reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino à Presbyteris, ut secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: Illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctae multitudinis profiteri: Non enim erat salus, quam docebat in Rhetorica, & tamen eam publice professus erat. Quanto minus ergo vereri*

debut mansuetum gregem tuum pronuncians  
 verbum tuum, qui non verebatur in verbis suis  
 turbas insanorum? Itaque ubi ascendit, ut red-  
 deret, omnes sibimet inuicem, quisque ut eum  
 nouerat, instrepuerunt nomen eius strepitu con-  
 gratulationis? Quis autem ibi non eum nouerat?  
 Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum colla-  
 tantium, Victorinus, Victorinus. Citò sonuerunt  
 exultatione, quia videbant eum, & citò silue-  
 runt intentione, ut audirent eum. Pronuncianit  
 ille fidem veracem præclara fiducia, & volebant  
 eum omnes rapere intrò in cor suum & rapie-  
 bant amando & gaudendo. & post alia sub fi-  
 nem cap. i v. & sub initium cap. v. Quantò  
 igitur gratiùs cogitabatur Victorini pectus, quod  
 tanquam inexpugnabile receptaculum diabolus  
 obtinnerat Victorini lingua, quo telo grandi &  
 acuto multos peremerat: tantò abundantius exul-  
 tare oportuit filios tuos: quia rex noster alligauit  
 fortem, & videbant vasa eius erepta mundari  
 & aptari in honorem tuum, & fieri utilia Do-  
 mino ad omne opus bonum. Sed ubi mihi homo  
 tuus Simplicianus de Victorino ista narrauit,  
 exarsi ad imitandum. Ad hoc enim & ille nar-  
 rauerat. Posteaquam verò & illud addidit, quòd  
 Imperatoris Iuliani temporibus lege data prohi-  
 biti sunt Christiani docere literaturam & ora-  
 toriam: quam legem ille amplexus, loquacem  
 scholam deserere maluit, quàm verbum tuum,  
 quo linguas infantium facis disertas, non mihi  
 fortior, quàm felicior visus est, quia inuenit oc-  
 casionem vacandi tibi. Hæc de Victorino san-  
 ctus

Etus Augustinus, quæ omnia cùm ob pulchritudinem historiæ, tum ob lectoris verè Christiani solatium, & priscorum Ecclesiæ in baptizando rituum descriptionem placuit referre.

De Victorino Afro tribus in locis Hieronymus verba facit; Et primò quidem in Chronico ad annum CCCLV. *Victorinus rhetor & Donatus grammaticus præceptor meus Romæ insignes habentur. è quibus Victorinus etiam statuam in foro Traiani meruit.* Deinde in Catalogo de viris illustribus: *Victorinus natione Afer Romæ sub Constantio principe Rhetoricam docuit, & in extrema senectute, Christi se tradens fidei scripsit aduersus Arium libros more dialectico valdè obscuros, qui ab eruditis non intelliguntur, & Commentarios in Apostolum.* Editi sunt aduersus Arium libri quatuor quos habet Bibliotheca Patrum. Iis accedunt carmen de tribus Macchabæis ab Antiocheno rege interfectis, & de Trinitate hymni tres. Qui versus interpretem in nonnullis benignum exigunt. Commentarij in Apostolum vel perire, vel adhuc in Bibliothecarum forulis delitescunt. Iacobus Sirmundus anno M. DC. XXX. Victorini huius libros edidit duos, alterum contra Iustinum Manichæum, alterum de principio diei. Sed eorum non meminit Hieronymus. Quamobrem hi libri vel non pertinent ad Victorinum Afrum, atque ita in Sirmondi manus inciderunt *Ἐνδεμίγραφοι*, vel Hieronymus non omnes illius libros recensuit aut vidit. Horum autem vtrum verum sit, non est facile pronuntiare.

## DE QVINQVE VICTORINIS

Ad extremum Hieronymus Victorinum istum attingit in præfatione Commentarij epistolæ ad Galatas: *Aggrediar opus intentatum ante me lingua nostra scriptoribus, & à Græcis quoque ipsis vix paucis, ut rei poscebat dignitas, usurpatum. Non quia ignorem Caium Marium Victorinum, qui Roma pueros rhetoricam docuit, edidisse Commentarios in Apostolum, sed quòd occupatus ille eruditione secularium litterarum scripturas omnino sanctas ignorauerit, & nemo possit quamuis eloquens de eo benè disputare, quod nesciat.*

Cassiodorus in Rhetorica sua de Victorino sic verba facit: *Hæc licet Cicero Latine eloquentia lumen eximium per varia volumina copiosè nimis, & diligenter effuderit, & in arte rhetoricâ duobus libris videatur amplexus, quorum commenta à Mario Victorino composita in Bibliotheca mea vobis videor reliquisse. & post alia: Præterea secundum Victorinum Enthymematis altera est definitio. Idem in libro de Dialectica: Modos hypotheticorum syllogismorum si quis planius nosse desiderat, legat librum Marij Victorini, qui inscribitur de syllogismis hypotheticis.*

Gerbertus, qui ex Remensi Archiepiscopo factus est Rauennensis, & ex Rauennensi Romanus Pontifex Silvester II. Victorini Rhetoricam sibi describi curauit. qua de re sic ad Rainaudum Monachum scribit epist. cxxx. *Vnum autem interim plurimum exposco, quod & sine periculo ac detrimento tui fiat, & me tibi quàm maximè in amicitia constringat. Nosti quanto studio librorum exemplaria undique conquiram, nosti*

## APPENDIX.

A

*quot scriptores in urbibus, aut in agris Italiae passim habeantur. Age ergo & te solo conscio ex tuis sumptibus fac, ut mihi scribantur M. Manilius de Astrologia, Victorinus de Rhetorica, Demosthenes ophthalmicus.*

Annus agebatur millesimus quingentesimus nonagesimus nonus, cùm Lutetiæ apud Ambrosium Droartum prodiit in lucem ex Victorini libris vnus, qui sic inscribitur: *Marij Victorini, Rhetoris urbis Romæ, expositio in primum Rhetoricorũ Ciceronis.* Prodiit verò cum pluribus antiquorum Rhetorum commentariis, quæ idem ferè tractant argumentum. Hic nomina quatuor sortitus est, vt vir clarissimus Iacobus Sirmondus testatur in notis ad librum i. epistolarum Ennodij Ticinensis Episcopi. *Fabij Laurentij Marij Victorini, quæ integra est nomenclatio clarissimi Rhetoris, qui in Ciceronis libros de arte Rhetorica scripsit. Proprium item nomen, quod postremum.* Porro autem Ioannes Auentinus in libro ii. annalium Boiorum in Constantio fallitur, dum Victorinum urbis Romæ Rhetorem occubuisse Martyrem tradit. *Victorinus, inquit, Rhetor & Martyr statuam in foro vacuam meruit.* Id Augustinus & Hieronymus minimè tradunt, tradituri opinor, si res ita contigisset.

### VICTORINVS *Masiliensis.*

**Q**UARTVS est, quem Gennadius in viro-  
rum illustrium albo collocat: *Victorinus*

## DE QVINQVE VICTORINIS

*rhator Masiliensis ad filij sui Etherij personam commentatus est in Genesim, id est à principio libri usque ad obitum Abrahæ Patriarchæ. Quatuor versuum edidit libros Christiano quidem & pio sensu, sed utpote seculari litteratura homo occupatus, & nullius magisterio in diuinis scripturis exercitatus, leuioris ponderis sententias figurauit. Moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus.*

### VICTORINVS Lampadius Orator.

**Q**UINTVS denique Victorinus Lampadius Orator à Photio memoratur in Cod. ci. Bibliothecæ: *Lectæ sunt, inquit, Victorini Lampadij Antiocheni orationes Consulares variæ simul & Imperatorie in Zenonis Augusti laudem. quo imperante ad extremam hic peruenerat senectutem. Dictionem eius, in qua nihil redundans, perspicuitas, usitatúsque loquendi modus exornant. Vtrum Victorinus iste Christianus fuerit, necne, ignorare me penitus fateor. Verùm etsi fuit gentilis, æquè tamen potuit ac Victorinus Praxeanæ sectæ defensor ceteris accenseri.*

Hic non attingo eum, quem Baronius aliquando, & recentiores quidam alij falsò Victorinum Aquitanum appellant. Is enim non Victorinus dicitur, sed Victorius, qui rogatu Hilari Papæ cyclum Paschalem edidit anno cccc-lxiii. Victorium hunc natione Aquitanum in Catalogo virorum illustrium ponit Gennadius, qui æqualis cùm fuerit, cùmque de facie nosse potuerit, quo nomine vocandus foret, neuti-

quam ignoravit. Concilium Aurelianense IV. quod anno Christi D. XLV. habitum est, eandem appellationem retinet cap. I. *Placuit itaque Deo propitio, ut sanctum Pascha secundum laterculum Victorij, ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur.*

Baronius quidem anno CCCIII. & anno CCCXXIV. meminit Victorini cuiusdam Episcopi, quem ob redargutos Paschales Ecclesiæ cyclos Romana Synodus altera damnarit. Sed Victorinus iste ac Synodus nullum habent apud veteres testimonium sui. Fuerunt progressu temporis, qui Siluestro primo Synodos falsas adscripserint, & res in iis gestas supposuerint. Quare annalium conditor, ut istum Victorinum à Victorino martyre & Pictaviensi, ut credit, Episcopo distinguat, gratuitam sibi creat molestiam, & cum larua contendit. Nam prius ex monumentis certis liquere debuit, utrum Victorinus extiterit aliquis, qui receptos Ecclesiæ Paschales cyclos accusauerit, quam in assignando tali discrimine studium & operam nauare. Ad constituendum *ὑποβολιμαίων* Victorinum, Victorinus Episcopus, & Victorius Aquitanus de suo nonnihil contulerunt. Vnus nomen & dignitatem, alter Paschales cyclos, quos à Victorino Episcopo reprehensos hominis noui fabricator confinxit.

Non attingo quoque Victorinos plures, qui sæuientibus in Christianos Imperatoribus ethnicis ad honorifica Ecclesiæ vulnera peruenerunt. Quamcunque in sæculo vitam egerant antea,



## DE QVINQVE VICTOR. APPEND.

etiã longissimam, ad illud tota redacta est punctum temporis, quod excepit triumphatã mortis gloria, & vitã alterius felicitas nunquam desitura. Qui hoc semel obseruauit, Victorinorum illorum historiam confecit omnem. Inde Vsuardus & Ado eos collocarunt in Sanctorum librario, assignaruntque dies, quibus Christi religionem sanguine dedicarunt suo, & verè tandem viuere cœperunt.

F I N I S.



Jeremias cap. vi. vers. xvi.

*Hac dicit Dominus: State super vias, & videte,  
& interrogate de semitis antiquis, que sit  
via bona, & ambulate in ea.*